

sibilitatem, sed secundum artis complementum: * quum sint decem & septem modi auri, octo scilicet ex admixtione argenti cum auro. Et primus modus fit ex 16. partibus auri cum aliquibus partibus argenti, usque ad vigesimum quartum gradum auri pertingatur; cum uno argenti semper unum gradum auri augmentando. Et totidem sunt ex admixtione æris cum auro: ita ultimus modus fit ex viginti quatuor gradibus auri puri, sine admixtione alterius metalli & non potest natura ulterius procedere sicut experientia docet. Sed ars potest augmentare aurum in gradibus putitatis usque in infinitum; similiter argentum completere potest sine fraude. Sed præcedentibus majus est, quod licet anima rationalis cogi non potest, eò quod libertate gaudet arbitrij: tamē efficaciter disponi, & induci, & excitari potest, ut gratis velit suos mores mutare, & affectiones, & voluntates, secundum arbitrium alterius; & non solum singularis persona, sed totus exercitus, & civitas, & totus populus regionis. & huiusmodi experientiam docet Aristoteles in libr. secret. tam de regione quam de exercitu. & persona singulari. Et in his ferè est finis naturæ & artis.

C A P U T VII.

De retardatione accidentium senectutis, & de prolongatione vita humana.

Sed ultimus gradus in quem potest artis complementum, cum omni naturæ potestate, est prolongatio vitæ humanae in magnum tempus. Quod autem hoc sit possibile, multa experimenta docuerunt. Nam Plinius recitat, Pollio nem strenuum corpore & animo ultra ætatem hominis consuetam durasse in suâ probitate, quem quum Octavius Augustus interrogaret quid faceret ut diu sic viveret: respondit in ænigmate quod oleum posuit exterius, & mulsum interius. (Mulsum autem habet octo partes aquæ & novem mellis secundum auctores) Et postea similia multa contigerunt. Nam rusticus effodiens in campis cum aratro, invenit vas aureum cum liquore & existimans rorem cœli, lavit faciem & bibit: & spiritu, & corpore & bonitate sapientiæ renovatus, de bubulco factus est bajulus regis Siciæ; quod accidit tempore regis Wilhelmi. Et probatum est te-

Lib. 22.
cap. 24.

Vita prolongatio